



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. Vera sententia stabilitur, & medium in quo Deus futura contingentia
cognoscit, explicatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

esset hæc propositio, necessarium erat, quod affirmaret aliquid, quod pro illo priori non esset, contrariè, aut repugnanter: id est, quod haberet aliquid ex vi illius prioris, repugnans futurationi quam affirmat.

Hæc solutio potest hoc exemplo elucidari. Quando aliquis considerando hominem secundum se, & sua prædicata essentialia, dicit, *homo non est albus*, tunc *ly non albus*, potest dupliciter sumi; primò repugnanter, & contrariè; & in hoc sensu, propositio est falsa, quia significat albedinem homini repugnare: secundo, merè præcisivè, & sic talis propositio est vera, significat enim, hominem non esse essentialiter album, & naturam humanam esse de se indifferentem ad albedinem, vel non albedinem. Ita similiter, quando dicitur, Antichristus pro priori ad decretum non est futurus, *ly non futurus*, potest sumi repugnanter & contrariè, & denotare futurationem Antichristo repugnare; & in hoc sensu, hæc propositio est falsa, nec est in materia contingenti, sed impossibili: impossibile enim est, futurationem Antichristo repugnare. Secundo *ly non futurus*, potest sumi purè præcisivè, prout significat Antichristum, ex vi signi antecedentis decretum, esse indifferentem ad futurationem, vel non futurationem, & ab utraque præscindere; & sic propositio est verissima, sed non est in materia contingenti, sed necessarium; cum necessariū sit, ante decretum, & determinationem voluntatis divinæ, res omnes esse in statu merè possibilitatis, & indifferentes ad futurationem vel non futurationem. Aliam hujus instantiæ solutionem dabimus in Tractatu de Angelis.

Disp. 7. art. 4. §. 3.

142. Objicies ultimo: Veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, ut docent Philosophi in Logica: At determinatæ essentiæ convenire debent determinatæ proprietates, in omni signo imaginabili: Ergo veritas & falsitas debent convenire propositionibus de futuro contingenti, in omni signo imaginabili, subindeque in signo rationis antecedenti divinum decretum.

Respondeo primò hoc argumentum nimis probare, quia ex illo sequitur, propositiones de futuro contingenti esse determinatè veras aut falsas, ac proinde illarum objectum determinatè futurum, vel non futurum, non solum pro priori ad decretum, sed etiam pro signo possibilitatis rerum; cum pro tali signo, & quocunque alio imaginabili, proprietates debeant convenire essentiæ.

143. Respondeo secundo distinguendo Majorem. Veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, formalis, concedo: materialis, nego. Propositiones autem de futuro contingenti, pro priori ad divinum decretum, non sunt formaliter propositiones, sed tantum materialiter, ut supra annotavimus.

Respondeo terciò distinguendo Majorem: Veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, proprietates respectivæ, concedo; absoluta, nego. Similiter distinguo Minorem: Determinatæ essentiæ convenire debent determinatæ proprietates, si sint absolute, concedo: si sint respectivæ, nego.

Explicatur: Sicut æqualitas vel inæqualitas sunt proprietates quantitatis, non absolute, sed respectivæ: quia una quantitas dicitur æqualis per ordinem ad alteram cui commensuratur,

A & inæqualis per ordinem ad aliam quam excedit, vel à qua exceditur. Ita similiter veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, non absolute, sed respectivæ; quia sumuntur per ordinem ad objectum, & ex conformitate, vel difformitate quam habet ad illud: unde sicut si daretur una tantum quantitas, neque esset æqualis, neque inæqualis, sed indifferens ad utrumque: ita si detur aliquid signum rationis, in quo objectum propositionis de futuro contingenti, non sit determinatè futurum vel non futurum; illa etiam, in tali signo, non erit determinatè vera vel falsa, sed non vera & non falsa, id est indifferens ad veritatem & falsitatem.

ARTICVLVS V.

Vera sententia stabilitur, & medium in quo Deus futura contingentia cognoscit, explicatur.

Sapienter monet Ecclesiastes, omnia tempus habere, & tempus esse plantandi, tempus evellendi; tempus destruendi, & tempus ædificandi. Articulis præcedentibus, falsas Recentiorum sententias confutavimus, nunc tempus est, ut veram D. Thomæ & Discipulorum ejus sententiam stabiliamus, & medium in quo Deus futura contingentia certò & infallibiliter cognoscit, breviter declaremus. Hic solum agemus de futuris absolutis, de conditionatis verò dicemus disputatione sequenti.

§. I.

Præscientiam futurorum fundari in decreto, seu prædefinitione voluntatis divinæ, SS. Patrum testimoniis ostenditur.

Dico igitur: Deum cognoscere certò & infallibiliter futura contingentia absoluta, in decreto & prædefinitione suæ voluntatis, sive potius in essentia & omnipotentia divina, ut per tale decretum determinata.

Probatur primò ex Dionysio, & alijs SS. Patribus supra citatis, qui apertè docent Deum omnia in sua essentia tanquam in causa cognoscere: Sed essentia divina non est causa futurationis rerum, nisi ut determinata per liberum divinæ voluntatis decretum; cum Deus non agat ex necessitate nature, sed ex beneplacito suæ voluntatis: Ergo omnia futura Deus cognoscit in suo decreto.

Probatur secundo ex Hilario 9. de Trinit. sic dicente: Sed *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit*: Sed Deus, cum non sit agens naturale, sed liberum, decrevit ab æterno facere universa quæ in tempore operatur, etiam futura contingentia & libera, juxta illud Apostoli ad Ephesios 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: Ergo Deus in decreto suæ voluntatis, futura contingentia & libera cognoscit.

Probatur terciò ex Augustino libro de prædestin. Sanctorum cap. 10. ubi certam de futuris & promissis notitiam repetit à prædestinatione & decreto Dei, ait enim: *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*. Et ibi agens de promissione facta Abrahamæ, Patrem multarum gentium esse constituendum, post multa hæc adiungit: *Credidit Abraham dans gloriam Deo, quoniam quæ promissit, po-*

144.

Disp. 2. art. 6. §. 2.

145.

zens est & facere. Non ait predicere, non ait præscire, nam & aliena facta potest predicere atque præscire, sed ait potens est facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua. Et supra dixerat: Non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Item libro 26. contra Faustum cap. 4. reddens rationem cur nesciat an aliquid sit futurum: Ideo (inquit) nescio, quia quid habeat hac de re voluntas Dei non later: illud me tamen non later, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Insuper in libro de bono persever. cap. 17. loquens de bonis operibus, ait: Si Deus ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit. Quæ consequentia nulla esset, si præscientia bonorum operum non esset fundata in decreto & prædefinitione voluntatis divinæ. Denique idem S. Doctor 9. de civitate cap. 22. docet quod rerum etiam contingentium æternæ & incommutabiles rationes, id est ideæ, in divina insunt sapientia, quas beati Angeli contemplant, mutationes rerum prævident. Si autem Angeli in divinis ideis, non nudè sumptis (quo pacto res solum ut possibiles repræsentant) sed ut per liberum divinæ voluntatis decretum determinatis, Beati Angeli futura contingentia prævident, à fortiori Deus in tali medio ea cognoscit, cum visio beatifica sanctorum Angelorum, sit divinæ scientiæ & cognitionis participatio.

§. II.

Eadem præscientia fundata in decreto, autoritate D. Thomæ fulcitur.

146. **C**VM Recentiores quidam cum Campanella contendunt, D. Thomam, neque scientiam mediam, neque decretum prædeterminans admittere, nullumque aliud medium in quo futura contingentia præsciat, quam eorum in æternitate præsentiam assignare: ut hujus sententiæ falsitas apertè constat, duo breviter hic præstanda sunt. In primis demonstrandum est, S. Doctorem varijs in locis suorum operum, nempe in sententijs, & ad Annibaldum, nec non in quæstionibus disputatis, & in Summa contra Gentes, utrumque medium in quo Deus futura contingentia præsciat (nimirum decretum, & præsentiam futurorum in æternitate) nec semel, nec obscurè expressisse. Deinde ratio reddenda est, cur in Summa Theologica, art. 13. hujus quæstionis agens de scientia Dei respectu futurorum contingentium, ut demonstrat Deum talia futura cognoscere, non recurrit ad decretum, sed ad præsentiam futurorum in æternitate; Sic enim discurre: *Æternitas tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est; unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia; non solum eâ ratione quâ habet rationes rerum apud se præsentis, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia- litate. Unde manifestum est, quòd contingentia & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentia- litem, & tamen sunt futura contin- gentia suis causis comparata.*

147. Primum demonstro, assignando loca in quibus S. Thomas utrumque medium (nempe decretum, & præsentiam futurorum in æternitate) expressit, vel saltè insinuavit. In pri-

A mis ergo S. Doctor in 1. sentent. dist. 38. qu. 1. art. 5. explicans modum quo Deus futura contingencia cognoscit, sic ait: *Deus non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur, &c.* Quo in loco, non solum exprimit præsentiam rerum in æternitate, in qua Deus (ut infra ostendemus) futura contingencia intuitivè cognoscit, sed etiam decretum suæ voluntatis, à quo res habent futuri- tionem: nam per ordinem suæ voluntatis ad res, ex cujus potestate dicit illas esse futuras, nihil aliud intelligi potest, quam divinum decretum, à quo res extrahuntur è statu meræ possibilitatis, & transferuntur ad statum determinatæ futuri- tionis.

B Secundo, D. Thomas ad Annibaldum lib. 1. dist. 38. qu. 2. art. 1. utrumque medium indica- vit: Nam ibi agens de scientia Dei respectu futurorum contingentium, & recurrens ad præsentiam æternitatis in corpore articuli, prius in secundo argumento *sed contra*, sic ait: *Deus scit res in quantum est causa rerum, ut ex supra dictis patet: Sed est causa non solum necessariorum, sed etiam contingentium: Ergo ipse scit non solum necessaria futura, sed etiam contingentia.* Ubi notiam quam Deus habet futurorum contingen- tium, reducit ad causalitatem ejus, in qua includitur divinum decretum, determinans scientiam Dei, ejusque omnipotentiam applicans.

C Tercio idem S. Doctor in quæstionibus disputa- tis utrumque medium designavit. Nam qu. 2. de verit. art. 12. quaerit *utrum Deus futura contin- gentia cognoscatur?* Et in corpore articuli redu- cit cognitionem illorum ad præsentiam in æter- nitate; sed antea in argumentis *sed contra*, recur- rit ad divinam causalitatem, in qua, ut dicebamus, divinum decretum involvitur. Nam in argumento quarto *sed contra*, sic ait: *Deus cognoscit res in quantum est causa earum: Sed Deus non tantum est causa necessariorum, sed etiam contin- gentium: Ergo tam necessaria, quam contin- gentia cognoscit.* Et in argumento sexto *sed con- tra*, sic discurre: *Scire est causam rei cognoscere: Sed Deus scit omnium contingentium causas, scit enim seipsum, qui est causa omnium: Ergo ipse scit contingentia.*

D Quarto, scientia quæ subjacet libertati volun- tatis divinæ, subjacet divino decreto, illique ut medio innititur: Sed juxta D. Thomam, scientia Dei respectu futurorum contingentium, subjacet libertati voluntatis divinæ: Ergo divino decreto ut medio innititur, Major patet, decretum enim est ipsum exercitium divinæ libertatis. Minor verò docetur à D. Thoma in 1. dist. 39. qu. 1. art. 1. ad 5. his verbis: *Licet esse & scire in Deo sint idem secundum rem, tamen scire sequitur volunta- tem, ut imperatum ab ipsa, esse autem non; & ideo esse suum non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creature.*

E Denique in Summa contra Gentiles plura ex- tant testimonia, ex quibus manifestè colligitur, D. Thomam existimare Deum cognoscere futu- ra contingencia, non solum in præsentia quam habent in æternitate, sed etiam in suo decreto. Nam 1. contra Gentes cap. 68. ait quòd *Deus scit nostras voluntates* (id est volitiones) *viden- do suam voluntatem.* Id est in decreto seu præ- definitione suæ voluntatis. Et lib. 3. cap. 56. dicit quòd *Deus scit omnes nostras voluntates, seu volitiones, per hoc quòd est nobis causa volendi:* At in causalitate divina (ut supra dicebamus) decretum

decretum divinum involvitur; cum Deus non sit agens naturale, sed liberum: Ergo juxta D. Thomam Deus cognoscit nostras volitiones, seu actus liberos nostrae voluntatis in suo decreto, & non solum in praesentia quam habent futura in aeternitate. Id etiam manifestè demonstrant plura ejusdem S. Doctoris testimonia, quibus aperte docet Deum futura contingentia in seipso tanquam in causa cognoscere. Nam 1. contra Gentes cap. 68. ratione 2. sic discurre: *Deus cognoscendo suam essentiam, alia cognoscit, sicut per cognitionem causae cognoscuntur effectus: omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quae sua causalitas extenditur: extenditur autem ad operationes intellectus & voluntatis: cognoscit igitur Deus cogitationes & affectiones mentis.* Et ratione 3. sic loquitur: *Sicut esse Dei est primum, & per hoc omnis esse causa: ita suum intelligere est primum, & per hoc omnis intellectualis operationis causa. Sicut igitur Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cujuslibet rei: ita cognoscendo suum intelligere & velle, cognoscit omnem cogitationem, & voluntatem.* Id est volitionem. Tandem concludit: *Et sic remanet causalitas in causa prima, quae Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit.* Ex quibus locis istud argumentum deduci potest. Juxta D. Thomam Deus cognoscit actus liberos nostrae voluntatis, in sua essentia tanquam in causa: Sed divina essentia non est causa rerum, nisi ut determinata per liberum decretum suae voluntatis, cum Deus non sit agens naturale, sed liberum: Ergo juxta D. Thomam, Deus cognoscit actus liberos nostrae voluntatis in suo decreto. Non ergo res difficilis est invenire in D. Thoma decreta in quibus praesentia futurorum fundetur: imò mirum est, quod in illo non inveniatur, nisi fortè quia non alio modo quaeruntur, quam quò sacerdos ille qui brevium suum cum perdidisset, ita illud quaerebat ut invenire timeret, ne teneretur ad citationem officii.

151. Dices, si D. Thomas tale medium agnovit, cur illud non assignavit art. 13. hujus quaestiones, agens de scientia Dei respectu futurorum contingentium; sed recurrit tantum ad praesentiam futurorum in aeternitate?

Respondeo duplicem hujus rei posse assignari rationem. Prima est, quia D. Thomas dum hanc difficultatem hic art. 13. explicaret, nondum egerat de decreto, de quo postea quaest. 19. differit; egerat verò supra quaest. 10. de aeternitate: ideoque satius & convenientius illi visum est, ad aeternitatem quam ad decretum recurrere. Alia ratio nem assignat Gaspar Ram Primarius Academiae Osensis, in regno Arragoniae, libro de divinis praemotibus, relect. 2. folio 29. Verba ejus sunt: *Observandum quintò: Quamvis ex duplici capite possit ostendi contingentia futura esse cognoscibilia à Deo, certà & infallibili cognitione, scilicet ex efficacia quam habet scientia Dei à divina voluntate, atque coexistentia futurorum in aeternitate, merito recurrere S. Thomam ad aeternitatem, dum agit de certitudine divinae cognitionis circa futura. Ratio hujus, & sanè digna S. Doctoris ingenio mirabili, ea est, quòd scientia à seipsa habet mensurari aeternitate, tanquam propria mensura, ac habet coexistentiam ad omnia quae habuerunt esse, vel habitura sunt in aliqua differentia temporis: non tamen habet à seipsa scientia divina efficaciam in futura, sive esse*
Tom. I.

A causam futurorum, sed à voluntate: ut ergo ex proprijs procederet, consultò reservavit rationem infallibilitatis scientia divina, qua sumitur ab efficacia, pro quaestione 19. ibi enim docet quòd Dei voluntas semper impletur, quamvis effectus futuri penes proximas causas liberi sint & contingentes. Ceterum art. 13. hujus quaestions, & alijs locis in quibus de scientia Dei, sive de divina cognitione disputat, praecipue recurrit ad aeternitatem divinae cognitionis; ut ostendat nihil obstrare indeterminacionem causarum contingentium, & incertitudinem futurorum, certitudini & infallibilitati cognitionis divinae.

§. III.

Rationes Theologicae expenduntur.

152. Prima & praecipua ratio insinuatur à D. Thoma locis citatis, & potest sic breviter proponi. Futura omnia contingentia à Deo cognoscuntur in sua essentia, ut in causa, & objecto prius cognito: At non in illa secundum formalitates necessarias; Ergo secundum aliquam formalitatem liberam, & consequenter in illa, ut determinata per liberum decretum. Minor est certa, medium enim quod cognitum, est ratio cognoscendi aliud, debet cum illo connecti, connexionem infallibili: divina autem essentia secundum praedicata necessaria, talem connexionem cum futuris non habet; bene autem ut per decretum determinata. Majorem autem docet S. Thomas 1. contra Gent. cap. 66. ratione 5. his verbis §. praecedenti relatis: *Cognitio Dei est per causam, se enim cognoscendo qui est omnium causa, alia quasi suos effectus cognoscit.* Idem docet cap. 68. per totum, quaest. 3. de verit. art. 6. & in hac quaest. 14. art. 6. & insuper ratione suadet. Tum quia Deus creaturas posibles cognoscit in seipso ut in causa & medio prius cognito, ut supra ex Dionysio, & Augustino ostendimus: Ergo etiam futuras. Tum etiam, quia si divina cognitio, primario & independentem ab essentia divina prius cognita, terminaretur ad creaturas posibles, vel futuras, ab illis speciem desumeret, cum omnis actus specificetur ab objecto primario. Item ab illis mensuraretur & dependeret, quantum ad aliquam perfectionem essentialem, scilicet quantum ad veritatem, & certitudinem, quod repugnat perfectioni divinae scientiae, ut supra ostendimus, agentes de ejus causalitate: Ergo ut haec inconvenientia vitentur, concedi debet Deum futura contingentia, in seipso ut in causa, & objecto primario cognoscere, subindeque in suo decreto; cum enim non sit agens naturale, sed liberum, non est causa illarum, nisi per actum seu decretum liberum suae voluntatis.

153. Dices cum Egidio Romano, Deum non cognoscere quidem futura contingentia immediate in seipsis, sed in sua essentia, tanquam in idea & exemplari; ea tamen independentem à divino decreto praescire ut futura: quia essentia divina nude sumpta, & absque decreto libero, potest representare futura, ex suppositione quòd sunt futura; & consequenter facta hac suppositione, potest esse ratio, & medium cognitionis illorum, absque superadditione decreti.

154. Sed haec responsio, & doctrina multipliciter impugnari potest. Primò ex D. Thoma quaest. 3. de verit. art. 6. ubi ait: *Idea in Deo, ad ea quae sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex proposito divinae voluntatis.* Et in 1.

dist. 39. quæst. 1. art. 2. ad 1. docet quod Deus non habet ideas determinatas, nisi ex proposito, seu decreto voluntatis suæ: unde cum non possit cognoscere futura contingentia, nisi in ideis determinatis, non potest ea cognoscere in suis ideis, nisi ut habent adjunctum decretum.

Secundò, Divina essentia repræsentat creaturas, ut illarum causa: Ergo per id solum poterit determinari in ratione repræsentantis futura contingentia, per quod determinatur in ratione causæ illorum: At solum decretum illam ad causandum determinat: Ergo per solum liberum decretum determinari potest ut illa repræsentet.

Tertiò, Continentia creaturarum in esse repræsentativo in essentia divina, fundatur in continentia illarum in essendo: At non nisi per decretum determinata, continet in essendo creaturas, sub esse existentia, seu futuritionis: Ergo non nisi ut sic determinata, continet eas in esse repræsentativo, & intelligibili.

Denique, Quod objectum aliquod aliud repræsentet, & in illo cognito cognoscatur, solum potest provenire ex connexionione inter utrumque repera: At etiam datâ suppositione futuritionis rerum, non est in divina essentia, connexio infallibilis cum illis, nisi solum ratione decreti: Ergo etiam in dicta hypothese, nequit repræsentare futura contingentia, nisi ratione decreti. Minor probatur: Connexio cum creaturis futuris, non est formalitas necessaria Deo, sed libera, alias Deus sine illis non posset subsistere: At omnis libera formalitas Deo competens, illi competit ratione decreti, cum voluntas sit prima radix libertatis: Ergo quacumque suppositione factâ, nequit divina essentia repræsentare futura contingentia, nisi determinata per liberum decretum.

55. Secunda ratio sumitur etiam ex principijs disputatione præcedenti statutis, potestque sic breviter proponi. Scientia futurorum contingentium honorum, est scientia approbationis seu beneplaciti, ut docet S. Thomas hic art. 8. Sed hæc includit, imò & supponit prævium decretum divinæ voluntatis, ut ibidem expressè docet idem S. Doctor dicens: *Scientia Dei est causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam: unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis:* Ergo Deus futura contingentia in decreto cognoscit.

56. Tertia ratio potest sic proponi. Quilibet effectus potest certò cognosci in causa ex qua infallibiliter sequitur: sicut ex principio certo & infallibili, potest deduci conclusio demonstrativa: Sed ex decreto efficaci divinæ voluntatis, tanquam ex causa infallibili, sequuntur omnia futura contingentia & libera, juxta illud Apocalypsis 2. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erunt, & creata sunt.* Et Psal. 134. *Omnia quacumque voluit Dominus fecit in celo & in terra.* Quæ verba expendens Augustinus in Enchir. cap. 95. sic habet: *Deus noster in celo sursum, & omnia in terra deorsum, quacumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit: & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et statim addit: *Nisi hoc credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere constremur, &c.* Idem docet S. Thomas varijs in locis, quibus divinæ voluntatis efficaciam mirum in modum commendat: vo-

A cat eam efficacissimam in hac parte quæst. 19. art. 8. *immutabilem & invincibilem*, in 1. dist. 47. quæst. 1. art. 1. ad 2. *Agens fortissimum*, quæst. 23. de verit. art. 5. *Dicit illi resisti non posse*, quodlib. 12. art. 3. *Eam non posse deficere*, quæst. 6. de malo art. unico ad 3. *Non posse impediri*, in 2. dist. 47. quæst. 1. art. 1. *Cum illa non posse stare negationem effectus quem vult*. 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. 2. 2. quæst. 24. art. 11. in corp. & quæst. 23. de verit. art. 5. ad 3.

Confirmatur: Inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem, hoc intercedit discrimen, quod prima non habet infallibiliter annexos rerum eventus, bene tamen secunda; ut cum B D. Thoma tenet communis Theologorum sententia, infra quæst. 19. art. 6. Ergo decretum ad voluntatem consequentem spectans, habet infallibilem connexionem cum futuris contingentibus, seu cum eventu futuro. Unde Isaia 14. *Injuravit Dominus exercituum dicens: si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea.* Et paucis interpositis additur: *Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta, & quis avertet eam?*

Quarta ratio sumitur à sufficienti inductione. Ostendimus enim articulis præcedentibus, Deum non posse certò cognoscere futura contingentia & libera ante decretum: neque in suis ideis, ut docet Agidius, neque in supercomprehensione causarum secundarum, & liberi arbitrij creati, ut asserit Molina: neque in decreto, ut futuro in sequenti signo rationis, ut existimat Suarez: nec denique in eorum veritate objectiva, ut contentunt alij Recentiores: Ergo ea solum potest cognoscere in decreto prædeterminante.

Dices primò cum Vazque, decretum Dei constitui per respectum rationis ad creaturas, subindeque non posse à divino intellectu cognosci ut medium in quo futura contingentia præciat, alias talem respectum rationis intellectus divinus confingeret.

Verùm hæc responsio, & doctrina, non solum falsa est, ut in Tractatu de voluntate Dei ostendimus, sed etiam Deo, & Christianæ Religioni injuriosa. Quid enim impijs & Atheis potest esse acceptius, quam voluntatem Dei liberam, quâ omnia constitui & mutari clamant Scripturæ; merito ente rationis constare, & divina decreta, à quibus omnis ordo divinæ providentiæ, & tota hujus universi series pendet, in mera entia rationis resolvere?

Deinde, Quidquid sit de hac sententia, an decretum Dei per respectum rationis ad creaturas constituatur, negari non potest, Deum per suum decretum esse causam liberam futuritionis rerum: At quod sufficit ad causanda futura, sufficit etiam ut per modum medij deserviat illorum cognitioni, cum ratio repræsentandi sequatur ex ratione causandi: Ergo quamvis decretum Dei liberum, per respectum rationis constitueretur, adhuc posset esse ratio repræsentandi futura contingentia, & deservire ut medium ad illorum cognitionem.

Dices secundò cum alijs Recentioribus: Esto Deus cognoscat futura contingentia & libera in suo decreto, illud tamen non esse prædeterminans, ut docent Thomistæ, sed indifferens, ac supponens prævisionem nostræ consensûs per scientiam mediam.

Sed contra: Cum decretum indifferens non de-

157

158

159

Disp. 5

art. 2.

5. 4.

160

terminet voluntatem humanam, sed potius ab ea determinetur, quantum ad speciem actus, prius naturā cognosci debet à Deo futura determinatio voluntatis humanæ ad speciem actus, quam cognoscatur tale decretum, ut determinatè influens in ejus actus: Ergo repugnat quòd Deus in tali decreto cognoscat futuram determinationem voluntatis nostræ, subindeque actus nostros liberos, ut certò & infallibiliter futuros.

161. Confirmatur: In causa indifferenti ut indifferens est, non potest cognosci determinatus effectus, ut supra contra Molinam arguebamus: Ergo neque in decreto indifferenti actus nostri liberi, ut determinatè & infallibiliter futuri, à Deo præsciri possunt: cum tale decretum non habeat infallibilem nexum cum aliquo actu determinato nostræ voluntatis, sed possit indifferenter cum ejus assensu vel dissensu componi. Quod ut magis declaratur, & manifestè constet solum decretum prædeterminans quod in Deo admittunt Thomistæ, posse illi deferre ut medium in quo futura contingentia & libera certò cognoscat; re-
colendum est id quod supra observavimus, nimirum, quòd ut aliquid habeat rationem medij ducentis in cognitionem alterius, duæ requiruntur conditiones, nempe quòd habeat infallibilem cum eo connexionem, & illud prioritate saltem naturæ & causalitatis antecedit. Illas verò conditiones soli decreto prædeterminanti convenire, manifestum est; nam decreto indifferenti utraque conditio deest, cum illud non causet, sed expectet determinationem voluntatis humanæ, ut determinatè in ejus actus influat, & possit indifferenter cum ejus consensu vel dissensu componi. Decretis autem supponentibus prævisionem nostri consensûs per scientiam mediam, quæ à Recentioribus, *benigna & temperata* appellantur, deficit saltem secunda conditio; cum enim supponant prævisionem futuri consensûs & determinationis voluntatis humanæ, illam non causant, nec per consequens prioritate naturæ & causalitatis antecedunt. Decreto verò prædeterminanti utraque conditio competit; cum enim efficiat liberam nostræ voluntatis determinationem, & efficaciter applicet voluntatem ad operandum, cum actibus ejus liberis habeat infallibilem & indissolubilem nexum, eosque prioritate naturæ antecedit; à qua prioritate, *prædeterminans* à Thomistis appellatur, id est causans liberam nostræ voluntatis determinationem.

§. IV.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

162. EX dictis inferes, Deum certò cognoscere futura contingentia & libera, in causis secundis, aut in libero arbitrio creato, ut stant sub physica prædeterminatione, quā illud physicè movet, & applicat ad suos actus liberos, infallibiliter simul & liberè eliciendos.

Hoc corollarium evidenter sequitur ex principijs jam statutis: Cum enim physica prædeterminatio sit vis quædam intentionalis, derivata à divino decreto, ejusque veluti causalitatis, & instrumentum, est de se efficax, & habet connexionem infallibilem cum nostris actibus liberis, sicut & divinum decretum: quare si in illo tanquam in medio, Deus potest futura contingentia & libera, certò præscire, etiam in causis secundis, naturalibus, vel liberis, ut à Deo prædeterminatis, eodem modo poterit illa certò cognoscere.

Tom. I.

A Dices, D. Thomas hic art. 13. & pluribus alijs in locis, docet futura contingentia non posse certò cognosci in suis causis, ex quo infert, Deum ut certò illa cognoscat, ea debere cognoscere in se ipsis, quatenus coexistunt aternitati: Ergo doctrina hujus corollarij apertè contradicit S. Doctori.

B Respondeo primò, duas distingui à S. Doctore futura cognoscendi rationes: unam singularem per existentiam futurorum in aternitate: alteram communem nobis cum Deo, nempe ex causarum dispositione; quā ratione Astrologus cognoscit ex inspectione cæli Eclipsim Solis, mutationem temporum, sicut Medicus morborum progressus. Hæc itaque ratio cognoscendi futura in causis, si spectetur ut est nobis cum Deo communis, non est infallibilis, nisi, ut loquuntur Logici, *permissivè*, quā divina est, & supponens divini decreti determinationem. Unde

C Respondeo secundo, quòd quando D. Thomas negat futura contingentia posse certò cognosci in suis causis, loquitur de causis secundis, nudè sumptis, & indeterminatis ad agendum; non autem de illis, prout subsunt divinæ motioni, & prædeterminationi: nam quòd in talibus causis certò cognoscat futura, expressè docet 7. contra Gent. cap. 67. ratione 3. & quæst. 12. de verit. art. 10. Itaque in causis determinatis à causa prima, & in ipsa causa prima, immutabili modo determinata, & determinante; futurorum contingentium & liberorum certa & infallibilis cognitio haberi potest, non autem in causis proximis indeterminatis, ut supra contra Molinam ostendimus.

§. V.

Solvitur argumentum ex auctoritate D. Thomæ desumptum.

O Bjiunt in primis Adversarij: Quotiescumque D. Thomas agit de scientia Dei respectu futurorum contingentium, recurrit ad illorum præsentiam in aternitate, ut demonstret illa certò à Deo cognosci: sicut videti potest in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. & alijs in locis infra referendis: Ergo non existimat Deum ea præscire in suo decreto efficaci, & absoluto. Consequentia probatur, si enim Deus ea cognosceret in suo decreto, superfluum esset & vanum recurrere ad illorum præsentiam in aternitate, ad reddendam rationem certitudinis divinæ præscientiæ; cum eā semotà, Deus in suo decreto ea certò præsciret: ut enim antea dicebamus, in causa infallibili & immutabili, potest certò, & infallibiliter cognosci effectus.

E Confirmatur: D. Thomas loco jam citato, hoc statuit discrimen inter effectus necessarios, & contingentes, seu liberos, quòd primi possunt certò cognosci in suis causis, non autem secundi: At hoc discrimen nullum esset, si præscientia Dei respectu futurorum sit innixa decreto, & in eo fundata: Ergo tali medio non innititur. Minor probatur: Vel enim D. Thomas separaret tale decretum à determinatione causarum secundarum, vel non? Si primum, sequeretur quòd effectus saltem naturales & necessarij, quales sunt illuminatio Solis, calefactio ignis &c. possent à Deo certò cognosci ut futuri, in causis secundis, independenter à decreto prædeterminante, quod repugnat doctrinæ Thomistarum, qui prædeterminationem physicam, non solum in causis libe-

Ii ij

ris, & contingentibus, sed etiam in naturalibus, & necessarijs, docent esse necessariam ad operandum. Secundum verò dici non potest, alioquin falsum esset quod ibidem docet S. Thomas, nempe futura contingentia non posse certò cognosci in suis causis: ut enim antea dicebamus, illa non minùs certò cognoscuntur in causis secundis, prout subsunt divino decreto, illas determinanti & applicanti ad agendum, quam in ipsomet decreto prædeterminante.

166. Ad objectionem respondeo primò, negando Antecedens: falsum enim est, quòd quando D. Thomas agit de scientia Dei respectu futurorum contingentium, semper recurat ad præsentiam suam aternitatis, & non faciat mentionem divini decreti. Ut enim constat ex pluribus testimonijs §. 2. relatis, S. Doctor, nec semel, nec obscure, medium illud expressit; præsertim libro 1. contra Gent. cap. 68. & libro 3. cap. 56. Imò & in ipso loco in argumento citato, scilicet in 1. sent. dist. 38. utrumque medium indicavit, præsentiam scilicet rerum in aternitate, & divinum decretum, ut supra annotavimus: dicit enim ibidem, *Deus non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cuius potestate res erat futura, sed ipsum esse rei inuebatur &c.*

167. Respondeo secundò, quòd quamvis D. Thomas formaliter, & in terminis, tale medium non expressisset, illud tamen, per manifestam illationem deducitur tum ex illo principio, quod sæpè repetit & inculcat, tanquam præcipuum suæ doctrinæ fundamentum; nimirum Deum nihil cognoscere extra se, sed omnia intueri in seipso, & in sua essentia tanquam in causa: nam divina essentia non est causa rerum, nec illas repræsentat ut existentes, aut futuras, nisi ut modificata, & determinata, per liberum suæ voluntatis decretum. Tum ex alio quòd asserit, scire divinum, respectu futurorum contingentium, subjacere libertati voluntatis: scientia enim quæ subjacet libertati voluntatis divinæ, subjacet divino decreto, illique ut medio innititur, ut supra dicebamus.

168. Respondeo tertio, quòd quando D. Thomas, ut ostendat Deum certò cognoscere futura contingentia, recurat ad præsentiam illorum in aternitate, non excludit divinum decretum, sed illud supponit, & virtualiter exprimit: ideo enim futura contingentia sunt præsentia realiter in aternitate, quia ex efficaci decreto divinæ voluntatis, sunt futura in propria mensura, & in aliqua temporis differentia. Unde priùs prioritate à quo seu natura, cognoscuntur ut futura, ratione divini decreti, quò extrahuntur à statu meræ possibilitatis, quam ut præsentia in aternitate. Ratio autem cur D. Thomas sæpissimè ad talem præsentiam recurat, duplex assignari potest. Prima est, quia intendit demonstrare quomodo Deus cognoscat futura contingentia, per scientiam non solum certam & infallibilem, sed etiam intuitivam, & visionis, ad quam (ut infra ostendemus) necessàriò requiritur realis præsentia & existentia sui objecti, in ea saltem mensura, quæ talis cognitio mensuratur.

Secunda ratio est, Quia S. Doctor intendit declarare, & exponere, quomodo scientia futurorum contingentium in Deo sit certa & infallibilis omnibus modis; nec habeat solum certitudinem, & infallibilitatè ex parte medij in quo fundatur, sed etiam ex parte objecti quod attingit, & contemplatur. Illud enim quando cognoscitur

A ut præsens in aternitate, ratione talis præsentia-
tatis (ut infra declarabimus) est aliquo modo
magis certum, quam prout cognoscitur ut futu-
rum, & ut determinatum ad habendam aliquando
existentiam in tempore, ratione divini decre-
ti efficacis & infallibilis.

Ad confirmationem, concessà Majori, ne-
ganda est Minor: ad cuius probationem, dicen-
dum est, D. Thomam in eò loco, neque exclu-
dere divinum decretum, neque illud includere,
sed ab illo abstrahere, non abstractione nega-
tivà, sed purè præcisivà (ut supra art. 1. an-
notavimus) id est ad illud non attendere, sed ad
solam determinationem causarum secundarum.
B Ibi enim solum intendit docere, quòd quia effe-
ctus naturales & necessarij, quales sunt ortus
Solis, eclipfes, & hujusmodi, sunt necessarij,
& ex natura rei determinati in suis causis, possunt
in illis certò cognosci, saltem quantum ad ratio-
nem specificam (præcindendo etiam à divino
decreto) effectus verò liberi, quia in suis causis
sunt omnino indeterminati, non possunt in illis
certò cognosci, etiam quantum ad speciem, in-
dependentè à decreto, quò causæ liberae ad tales
actus eliciendos efficaciter prædeterminantur.
Quod ut fiat evidentiùs.

Observandum est, quòd licet physica præde-
terminatio sit necessaria in causis tam naturalibus,
quàm liberis ad operandum, non tamen eodem
modo: in causis enim naturalibus, requiritur so-
lum, ut eas determinet ad rationem individua-
lem suarum operationum; non tamen ad illarum
rationem specificam, ad quam ex sua natura sunt
determinatæ, ut Sol ad illuminationem, ignis
ad calefactionem &c. In causis verò liberis, quan-
tum ad utramque rationem requiritur; quia cau-
sæ liberae, non solum sunt indifferentes, & inde-
terminatæ ad rationem individualem, sed etiam
ad rationem specificam suarum operationum: à
principio autem indifferenti, ut indifferens est,
non exit determinatus actus, nisi ab aliquo deter-
minetur ad illum: ut ex Commentatore 2. Phys.
text. 48. sæpè probat, & docet S. Thomas. Dici-
mus ergo S. Doctorem, loco in confirmatione
citato, solum intendere, hoc statuere discrimen
inter causas naturales, & contingentes seu liberias,
quòd in primis (abstrahendo etiam à divino de-
creto) possunt certò cognosci effectus naturales
& necessarij, saltem quantum ad speciem: quia
ad rationem specificam illorum, sunt ex se, &
ex sua natura determinatæ. In secundis verò, se-
cluso divino decreto, effectus contingentes &
liberi, non possunt certò cognosci, etiam quan-
tum ad speciem, quia illæ sunt omnino indiffe-
rentes, & indeterminatæ ad rationem specificam
suarum operationum.

§. VI.

Solvuntur aliæ objectiones.

Objicies secundò: In causa remota & univer-
sali, non potest certò & infallibiliter cog-
nosci effectus, v. g. in motu Solis, non po-
test certò cognosci generatio plantæ: cum enim
virtus causæ remotæ & universalis, recipiatur in
causa proxima & particulari, ab illa modificatur
& determinatur, & interdum impeditur ne certò,
& infallibiliter producat suum effectum; sicut
virtus Solis modificatur in planta, & ex defectu
virtutis generativæ illius, interdum impeditur ne
fiores vel fructus producat: unde cum divinum

decretum, sit causa tantum remota & universalis rerum contingentium, & actuum nostrorum liberorum, & ejus virtus, quamvis infinita, modificetur in causa libera in qua recipitur, & interdum ex defectu illius impediatur ne suum effectum consequatur; non potest habere rationem medij, in quo Deus omnino certo, & infallibiliter, futura contingentia & libera cognoscat.

172. Hoc argumentum confirmari potest egregio D. Thomæ testimonio, desumpto ex 1. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ubi sic discurret. *Quandocumque sunt causæ multæ ordinate, effectus ultimus non sequitur causam primam, in necessitate & contingentia; sed causam proximam: quia virtus causæ primæ recipitur in causâ secundâ, secundum modum causæ secundæ: effectus enim ille, non procedit à causâ primâ, nisi secundum quod virtus causæ primæ, recipitur in causâ secundâ, ut patet in floritione arboris, cujus causâ remota est motus Solis, proxima autem virtus generativa plantæ: floritio autem potest impedi per impeditionem virtutis generativæ, licet motus Solis sit invariabilis. Similiter autem scientia Dei est invariabilis causa rerum, sed effectus producuntur ab ipsa per operationes causarum secundarum: & ideo mediantribus causis secundis necessariis, producit effectus necessarios, ut motum Solis, & hujusmodi, sed mediantribus causis secundis contingentibus, producit effectus contingentes.*

173. Ad objectionem respondeo, distinguendo Antecedens: In determinatione causæ remotæ & universalis, effectus non potest certo cognosci: quando causa remota & universalis, est impediibilis à proxima, & particulari, concedo. Quando non est impediibilis, nego. Decretum autem divinum, cum sit infinitæ virtutis & efficacis, impedi non potest, à causis secundis contingentibus, vel liberis, ne suum effectum consequatur, non solum quantum ad ejus substantiam, sed etiam quantum ad modum libertatis & contingentis.

Ad exemplum quod adducitur de Sole, dicendum est duplex esse notabile discrimen inter concursum Dei, qui est prima & universalissima causa, & concursum Solis, & aliarum causarum secundarum universalium. In primis enim, cum concursus Solis, & aliorum corporum cælestium, sit virtutis & efficacis finitæ & limitatæ, impedi potest ex defectu & imperfectiōne causæ proximæ, ne suum effectum consequatur: ut patet in floritione arboris, quæ impedi potest ex defectu virtutis generativæ plantæ. Virtus autem primæ & universalissimæ causæ, cum sit infinita ac illimitata, impedi non potest à causis secundis, etiam contingentibus & liberis, ne suum effectum consequatur, & quantum ad substantiam, & quantum ad modum necessitatis, vel libertatis quem intendit. Ut enim dicit Sanctus Doctor 1. 2. quæst. 112. art. 3. *Si ex intentione Dei movens est, quod homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter eam consequitur: secundum illud Joan. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Et 2. 2. quæst. 24. art. 11. in corp. Virtus Spiritus Sancti infallibiliter operatur quocumque voluerit. Unde impossibile est, hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando. Quam doctrinam hausit S. Doctor ex Scriptura, & SS. Patribus. Dicitur enim Isaïæ 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea*

Tom. I.

A *fieri. Esther 13. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati. Isaïæ 14. Dominus Deus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta, & quis avertet eam? Item D. Augustinus de corrept. & gratia cap. 14. Deo volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle & nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Denique sanctus Prosper in carmine de ingratia, habet hunc versum.*

Haud dubie impletur quicquid vult summa potestas.

B Secundum discrimen quod inter concursum Dei, & causarum secundarum universalium reperitur, consistit in eo quod causæ secundæ universales per se primò attingunt in suis effectibus, rationes communes aut genericas, putà viventis, aut corporis corruptibilis; quæ cum sint potentiales, & determinabiles, etiam concursus illarum, est indifferens, potentialis, ac determinabilis à causis inferioribus, & particularibus. Causa autem primæ, & universalissima, cum per se primò attingat in omnibus rebus creatis, rationem entis, & actualitatem existentis, quæ non est potentialis, & determinabilis; sed actualis, & determinativa, non potest etiam ejus concursus esse indifferens, & determinabilis à causis secundis, etiam liberis; sed potius eas debet determinare & applicare ad agendum, conformiter ad illarum naturam.

Ad authoritatem verò D. Thomæ in confirmatione adductam, dicendum est, quod S. Doctor in hoc articulo solum intendit docere, quod infallibilitas divinæ præscientiæ, non præjudicat libertati & contingentis rerum: quia quamvis scientia divina, ut applicata per decretum, sit invariabilis causa rerum; tamen quia Deus attemperat, & accommodat suum concursum, suamque motionem naturis rerum, quas movet & applicat ad agendum: ita ut causas necessarias & naturales moveat ad unum per modum naturæ; liberas verò ad unum per modum liberi, & relinquendo potentiam ad oppositum, ac præsuppositâ in intellectu indifferentiâ objectivâ judicij, quæ est proxima radix libertatis: ideo divina scientia, quamvis infallibilis, & invariabilis, non tollit, sed potius efficit, & causat libertatem, & contingentiam in rebus creatis. Et in hoc tantum sensu, docet D. Thomas, quod virtus seu motio causæ primæ modificatur & determinatur à causis secundis, in quibus recipitur: quatenus scilicet causa primæ attemperat & accommodat suum concursum, suamque motionem, naturis illarum; quod est illam determinari à causis secundis, materialiter tantum & objective.

E Obijcies tertio: Si scientia Dei respectu futurorum absolutorum sit fundata in decreto, sequitur scientiam visionis in Deo, differre attributaliter, à scientia purè possibilium: Consequens est falsum, & contra communem Theologorum sententiam: Ergo & Antecedens. Sequela probatur: Distinctio scientiarum sumitur ex parte motivi seu medij: At si scientia visionis sit fundata in decreto, habebit medium virtualiter distinctum, à medio scientiæ possibilium: Ergo virtualiter distinguetur ab illa. Probatur Minor: Motivum seu medium in quo Deus possibilis cognoscit, est omnipotentia: At hæc à decreto libero distinguitur virtualiter, cum juxta commu-

I i ij

nom Thomistarum sententiam, omnipotentiam in Deo, sit intellectus ejus practicus, ut connotans voluntatem, & producens res ad extra, per actum imperij, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, ut constat ex dictis articulo ultimo præcedentis disputationis: Ergo si scientia visionis sit fundata in decreto, habebit medium virtualiter distinctum à medio scientiæ possibilium.

176. Respondeo decretum liberum non esse motivum, seu medium, in quo Deus cognoscit futura, per modum rationis formalis, sed solum per modum applicationis omnipotentia, in qua, ut per decretum applicata, cognoscuntur futura, ingrediente omnipotentia ut ratione formali objectiva, & decreto ut conditione applicante. Cum enim representatio creaturarum in Deo, super continentiam illarum fundetur: decretum autem non sit ratio continendi illas, sed applicatio tantum omnipotentia, ratione cujus Deus illas præcontinet; consequens est ut decretum, nec sit, nec esse possit ex parte objecti, ratio formalis representandi illas. Juxta quam doctrinam, facilis est responsio ad argumentum. Nam ut inter prædictas scientias, esset virtualis distinctio, deberet distinctio virtualis inveniri non solum in conditione applicante, sed inter illorum motiva: quod non contingit in præsentia. Ita Illustrissimus Dominus Godoy, Oxomensis Episcopus, in manuscriptis Tractatus de scientia Dei.

§. VII.

Diluitur aliud argumentum ex læsione libertatis.

177. Objicies ultimò: Si præscientia Dei respectu futurorum absolutorum, sit fundata in decreto efficaci & absoluto, non poterit ejus infallibilitas conciliari cum libertate, & contingentia rerum. Vel enim causæ liberæ possunt resistere tali decreto, & ejus motioni, vel non? Si primum, divina præscientia poterit falli: quia oppositum ejus quod Deus præscivit, poterit evenire. Si secundum, destruetur libertas; cum de ratione causæ liberæ sit, quod possit resistere divino decreto, ejusque motioni, & facere oppositum ejus quod Deus decrevit, & præscivit.

178. Respondeo primò, Illud argumentum posse facile retorqueri in Adversarios: cum enim divinum decretum sit non solum prima causa determinatæ futuritionis in rebus, sed etiam primum principium, primaque veluti radix totius libertatis creatæ, & participatæ, ut supra ostensum fuit, si præscientia Dei respectu futurorum, sit independens à decreto, eoque anterior; neque erit certa & infallibilis, cum ante decretum, nihil sit cognoscibile, ut certò futurum; neque res erunt futura liberæ, & contingenter, sed necessariò, & ex natura rei: quia erunt futura, ante primum principium, & primam radicem totius libertatis, & contingentia; & ex vi, ac natura oppositionis contradictoria, quæ est causa necessaria necessitate absolutâ, ut ibidem arguebamus. Unde tantum abest, quod sententia Adversariorum, idonea sit ad concordiam infallibilitatis divinæ præscientiæ, cum libertate creatæ explicandam; quin potiùs utramque profus tollat ac destruat, ipsamque hominis libertatem, in suo primo principio præfocet, & extinguat, ut ibidem pluribus argumentis demonstravimus. Quare eorum sententia, non concordia, sed potiùs discordia libertatis cum divina præscientia, appellanda est.

art. 3.
§. 3.

A Respondeo secundò, negando sequelam Majoris, ad cujus probationem, dicendum est, causas liberæ posse resistere seu dissentire divino decreto, & ejus motioni; potentia antecedenti, & in sensu diviso; non tamen potentia consequenti, & in sensu composito: ita ut de facto conjungatur & componatur actualis resistantia, seu dissensus, cum divino decreto, ejusque motione. Sicut etiam dicere tenentur omnes defensores gratiæ congruæ: illa enim nunquam de facto conjungitur cum actuali resistantia, seu dissensu. Quia ergo causæ liberæ, prout subsunt divino decreto, ejusque motioni, servant potentiam ad resistendum, & ad eliciendum actum oppositum, non læditur illarum libertas: sed quia de facto nunquam resistunt, nec unquam conjungitur actualis dissensus cum decreto efficaci, & motione ipsius; divina præscientia quæ in illo fundatur, nunquam fallitur. Et sic illa duo extrema, quæ videntur inter se opposita, facile conciliantur, & in concordiam adducuntur.

B Ratio autem fundamentalis talis concordia, petitur ex efficacia voluntatis divinæ, quæ attingit non solum substantiam nostrorum actuum, sed etiam modum libertatis, qui reperitur in illis: ut docet D. Thomas locis supra citatis, præsertim 1. p. quæst. 19. art. 8. in corp. & in resp. ad 2. ubi sic habet. *Ex hoc quod nihil volumari divina resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri; sed quod fiant contingenter vel necessariò, quia sic vult fieri Deus.* Quæ verba valde notanda sunt: Illa enim ad vivum expriment infinitam illam efficaciam divinæ voluntatis, dativam & causativam libertatis, quia est infinite efficax, & quia ei resisti non potest. Unde id quod Adversarij putant maximè nocere libertati, scilicet quod non possit homo divino decreto, ejusque motioni, resistere (intellige potentia consequenti, & in sensu composito) est id quod maximè illam firmat, & statuit: si enim ei non potest resisti, & illa vult ut liberè operemur, firmum & certum est, quod liberè operabimur. Quam etiam doctrinam expressè tradidit Anselmus, cujus nomine, in hac materia, maximè abutuntur Adversarij. Ille enim in concordia prædest. cap. 1. sic loquitur. *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse: si Deus vult voluntatem humanam, nullâ cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam. & esse quod vult.*

Dices, Idem Anselmus libro 1. cur Deus homo cap. 18. docet quod omnis suppositio antecedens, quæ non descendit ex libertate & electione nostræ voluntatis, tollit libertatem: Sed divinum decretum, & ejus motio, est aliqua suppositio antecedens, quæ non descendit ex libertate, & electione nostræ voluntatis: Ergo tollit ejus libertatem.

E Respondeo primò, negando absolutè Majorem: Indifferentia enim objectiva judicij, est aliqua suppositio, quæ antecedit electionem nostræ voluntatis, & tamen non tollit, sed potiùs causat libertatem. Item infententia Adversariorum, scientia simplicis intelligentiæ, ut habet adjunctum decretum, est causa futuritionis rerum, ac proinde aliqua suppositio illam antecedens (cum omnis causa debeat esse prior, saltem naturâ, suo effectu) & tamen non tollit libertatem, & contingentiam rerum, ut illi profitentur. Nec Anselmus unquam dixit, quod suppositio antecedens tollat libertatem, sed suppositio

179.

180.

181.

tio necessitans, & orta ex causis naturalibus, & necessariis: sicut Solem oriri necessarium est, quo exemplo ipseniet utitur. Imò Sylvius in opusculo de primo motore, & Doctores Lovanienses in justificatione Censuræ, affirmant hanc propositionem. *Quidquid ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, hoc inimpedibile est; & necessarium*, quam olim docebat quidam Petrus de Rivo, Philosophiæ in Universitate Lovaniensi Professor, fuisse à Xisto IV. anno 1476. tanquam erroneam damnatam, & proscriptam. De quo rursus in Tractatu de Prædestinatione.

Disp. 6.
art. 7.
§. 2.
182.

Respondeo secundò, D. Thomam (suppresso Anselmi nomine) hoc idem argumentum, iisdem ferè terminis sibi proponere r. p. quæst. 19. art. 8. ubi tertio loco sibi objicit. *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute: Sed res create à Deo, comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius à quo habent necessitatem: sequitur ergo quòd omne quod Deus vult, sit necessarium absolute.* Cui argumento sic respondet: *Ad tertium dicendum, quòd posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum: unde & ea que sunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere: scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum; & scilicet non omnia sunt necessaria absolute.* Quibus verbis significat, quòd quamvis decretum voluntatis divinæ, in quo fundatur præscientia futurorum, antecedit actus nostros liberos, prioritate naturæ, & causalitatis; non tamen destruit eorum libertatem, nec ullam in eo inducit necessitatem, nisi infallibilitatis & consequentiæ, quæ libertati non præjudicat: *Quia (inquit) posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum, & qualem priora volunt ea habere:* divina autem voluntas, quæ ratione suæ infinitæ efficacix, est prima radix libertatis & contingentix rerum, non vult nostros actus liberos quos prædefinit, aliam habere necessitatem, quàm infallibilitatis, & consequentiæ. Videri etiam potest S. Doctor i. Periherm. lect. 14. & quæst. 23. de Verit. art. 5. ad 1. ubi idem argumentum, quod est palmarium apud Adversarios, sibi opponit, & alio modo dissolvit.

183.

Respondeo tertio, distinguendo illam propositionem: Omnis suppositio antecedens, quæ non oritur ex nostra libertate, vel ex radice & principio illius, eam tollit: concedo. Si oriatur à nostra libertate, vel ab ejus principio, & radice: nego. Suppositio autem decreti prædeterminantis, in quo fundatur præscientia futurorum, licet non procedat ab ipsa libertate, & electione voluntatis humanæ, oritur tamen ab ejus primo principio, primaque veluti radice, efficaci scilicet divinæ voluntatis, quæ ut docet D. Thomas locis supra citatis, est primum principium, primaque veluti radix libertatis, & contingentix rerum. Adde quòd Deus, ut dicit Augustinus de corrept. & gratia cap. 14. magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi homines: unde si suppositio, quæ descendit ex potestate, & dominio nostræ voluntatis, non tollit ejus libertatem; à fortiori, nec illa quæ descendit à Deo, tanquam à primo libero, & supremo Domino nostrarum voluntatum. Adde etiam, quòd D. Thomas 3. contra Gent. cap. 88. & aliis in locis alibi referendis, docet Deum non debere considerari, tanquam aliquod agens ex-

trinsecum respectu nostræ voluntatis; eo modo quo alia agentia creata, sed potius ut intimè illi conjunctum, tanquam author & principium ejus libertatis: unde sicut suppositio quæ oritur ab indifferenti judicio rationis, quamvis antecedit electionem nostræ voluntatis, non tollit tamen ejus libertatem, quia oritur ex aliqua potentia homini intrinseca, scilicet intellectu: ita similiter, quamvis suppositio divini decreti, & motionis illius, antecedit actus nostros liberos, prioritate naturæ, & causalitatis, non lædit tamen earum libertatem, quia similiter oritur ab aliquo principio intrinseco, scilicet Deo, qui nobis intimior est, quàm nos ipsi, & qui est veluti anima nostræ animæ: *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus;* ut dicitur Act. 18. Sed de hoc plura in Tractatu de Prædestinatione, ubi concordiam libertatis nostræ, cum divinis decretis & prædefinitionibus fusè exponemus.

Disp. 6.

ARTICVLVS VI.

In quo medio Deus peccata futura cognoscit?

§. I.

Præmittenda ad resolutionem difficultatis.

Notandum primò, peccatum duo importare, unum de materiali, entitatem scilicet physicam, & positivam actus mali, & peccaminosi; & aliud de formali, ipsam nempe malitiam, & deformitatem, seu deviationem à regulis morum; sive in solo privativo, sive in positivo, ut connotante privationem consistat: de quo in Tractatu de Peccatis.

184.

Notandum secundo, duplex esse decretum in Deo: Unum positivum, quò decernit positivè concurrere ad entitatem cujuscumque actionis, sive bonæ, sive malæ; aliud permissivum, quò statuit permittere malitiam peccati, & denegare auxilium speciale ad illam evitandam; de ratione enim universalis provisoris est, permittere aliquos defectus, tam in ordine morali, quàm naturali, ut inde magis relucent pulchritudo universi, & manifestetur ordo suæ justitiæ. Unde Augustinus in Enchir. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Quibus verbis, utrumque decretum, permissivum scilicet & positivum clarè expressit. Et D. Thomas in hac quæstione art. 9. ad 3. *Ille solum sunt futura, quæ Deus permittit esse, vel vult esse.* Ubi per permissionem tangit peccata, quæ Deus permittit, & non vult: per volitionem verò, significat bona quæ Deus non solum permittit, sed etiam vult, & approbat, atque positivè decernit.

Disp. 3.
art. 1.
185.

Notandum tertio, quòd aliud est dicere, liberum arbitrium creatum, esse defectibile ex natura sua, & aliud, ipsum ex se, & ex sua natura, esse determinatum ad malum. Illud enim est veritas Catholica; hoc autem est error etiam contra lumen naturale. Illud possibilitatem dicit d. ficiendi à fine, & à lege Dei: quia facultas liberi arbitrij, non est ipsa regula suarum actionum; hoc autem refert determinationem ad malum, in Authorem naturæ, qui liberum arbitrium produxit; quæ est Manichæorum hæresis. Illud, ut sapè docent SS. Augustinus, &

186.